



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Opera Omnia Ascetica**

Aucta Duobus Opusculis De Effectibus, Fructu, Et Applicatione Sanctissimi  
Missæ Sacrificii, Et De Sublimitate Perfectionis Religiosæ. Catalogum  
Tractatum Asceticorum Omnium Vicina Post Dedicacionem Pagina  
Indicabit

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Provisiones Senectutis, Per Tres  
Partes Distributæ - In quibus raræ ac penenecessariæ Veritates, cum  
omnibus Christi fidelibus, tum potissimùm Gratiarum Cœlestium,  
lucrorumque æternorum avidibus, quà theoreticè, quà practicè  
proponuntur

**Druzbicki, Kaspar**

**Ingolstadii, 1732**

**VD18 90066391**

Stimulus 7. Desiderium Sanctorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45462**

lucrifaciam, & inveniar in illo, non habens meam  
 justitiam quæ ex lege est, sed illam quæ ex fide est Chri-  
 sti Jesu, quæ ex Deo est justitia in fide ad agnoscen-  
 dum illum, & virtutem resurrectionis ejus, & socie-  
 tatem passionum illius, configuratus morti ejus: si  
 quomodo occurram ad resurrectionem, quæ est ex  
 mortuis. Non quod jam acceperim, aut jam perfectus  
 sim. sequor autem si quomodo comprehendam, in quo  
 & comprehensus sum à Christo Jesu. Fratres ego me  
 non arbitror comprehendisse. Unum autem: quæ qui-  
 dem retrò sunt obliviscens, ad ea verò quæ sunt priora  
 extendens meipsum, ad destinatum persequor brevi-  
 um supernæ vocationis Dei in Christo Jesu. Hæc  
 Apostolus de seipso, deque vita, omnibus San-  
 ctis Dei etiamnum in hac, ac demum concludit,  
 eam regulam quæ omnibus servit, in seipso o-  
 mnibus se expressisse ostendens, ac dicens. Qui-  
 cunque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus. Sentias  
 & tu, valde, curre, persequere similiter, ad bra-  
 vium supernæ vocationis, quæ jam retrò sunt obli-  
 scens, quæ verò priora ad ea teipsum extendens, ut  
 fiat senectus tua in misericordia uberi, utque ingre-  
 diaris in abundantia sepulchrum.

Ibid. 8. 15.

Psal. 91. 11.  
Job.

## Stimulus VII.

### Desiderium Sanctorum.

NON tantum exemplis provocant nos Sancti  
 nostri, Sanctusque Sanctorum ipse, ut in  
 via Dei eurramus alacriter, velociter, sublimiter,  
 & constanter: sed etiam cursunt nostrum, ad se,  
 suamque societatem, incessantibus votis deside-  
 rant. Hæc est voluntas Domini Dei nostri, San-  
 ctificatio nimirum nostra: Nec aliud desiderare  
 possunt Sancti ipsius, quam quod maxime pla-  
 cere agnoscunt cordi ipsius: Votis ergo Sancto-  
 rum

V. P. Drüz. Op. VII.

rum

rum non cupiet, non ardescet, satis superque satisfacere homo, qui scilicet cupit & ardet ad numerari cætibus Sanctorum? Numera Sanctos si potes & complectere numerum eorum, qui clamant pro te ad Dominum: desiderantes pacem servi ejus: & ut benignè faciat Dominus anima tuæ, *ut ædificentur muri Jerusalem suæ*, etiam per te. Et potesne frustrari vota eorum, tarditate, tepiditate, morâ, dilatione tuâ, negligentia tuâ, molitie tua, sensualitate, concupiscentiâ, amore proprio tui? Quomodo comparebis inter Sanctos illos totos igneos, totos ardentes, totos flammam ignis, tu tepiditate & languore, negligentia desideriaque solâ, inter eos insignis incedens? Memoria & conscientia languoris tui præsentis diluetti bi gloriam & dulcedinem beatitudinis: & quamvis ibi non sit locus pœnitentis, pœnitebit te tamen, non consummatiùs fervore virtutis obsequiique Divini ad cœlum inter Sanctos venisse divitem, comparuisse instructum, degere insignem.

### Stimulus VIII.

*Tempus præsens suppletioni indultum.*

**C**Ogita mi homo te esse arborem illam cui cum Dominus ob inutilem fertilis terræ occupationem, excisionem decrevisset, agricultura pro ea impetravit indulgentiæ annum unum, dicens Domino. *Dimitte eam etiam hoc anno, usque dum fodiam circa illam & mittam stercora; & si quidem fecerit fructum: sin autem, in futurum succides eam.* Videsne non ablatam sed dilatam succisionem? Reliquum vitæ tuæ, annus ille unus est, per indulgentiam indultus, utique non ut continues sterilem desideriam, sed ut commutes in fructuosam